

crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud Patrem. His vestigiis, licet satis a longe, gigantem sequeris, si paupertatem diligis, si inter pauperes extremitatem eligis, si monasterii subditus es disciplinæ, si minorem tibi pateris præesse, si falso fratres æquanimiter tuleris, si mansuetudine vincas cum judicaris, si charitatem rependas illis a quibus injuste pateris. Hæc humilitas plane sine injuria unci Baptismi rebaptizat: quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem et sepulturam criminum instaurat; et quod in illo Baptismo gestum est specie, hic rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cælos aperit, spiritum adoptionis restituit: Pater agnoscit filium, quippe in innocentia et puritate pueri regenerati reformatum. Unde bene de Naaman Scriptura meminit quia restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli (IV Reg. v, 13, 10 14): significans ut ar-

IN FESTO PURIFICATIONIS BEATÆ MARÆ VIRGINIS.

SERMO I.

De cæremonia luminum hoc festo usitata.

1. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (Luc. xxii, 35). Sint lumbi nostri præcincti, ut Purificationem Mariæ æmulemur; sint lucernæ ardentes in manibus, ut gaudium Simeonis, lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet casti corpore, et mundi corde; et Purificationem Mariæ expressimus: simus ardentes devotione, et lucentes opere; et cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quam mysterium Purificationis commendavit, implendo legalem, 945 significando spiritualem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit, imo quæ ipso conceptu plane purificata fuit, si quid forte minus ante puritatis habuisset [alias habuit]? Quid, inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine (Job. xiv, 4), qui fontem quo immundus purificetur edidit, fontem domus David, qui hodieque patet indefesseque scatet in abluitionem peccatoris, et menstruata? (Zach. xiii, 1.) Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul et obedientissimæ humilitatis virtutem, et evangelicæ purificationis insinuarat veritatem. Ubi nunc ille, qui tam fallaciter quam contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria poenitentium remedia subire? Esto quod sanctus sit; nunquid sicut sanctarum Sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Utinam, fratres mei, utinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris quam vere habuerunt sancti in virtutibus suis. Sed omittamus nunc istud, ut quod cœpimus*

bitror, quia eorum, qui sic se abluunt, non solum corda recuperant innocenciam parvulorum; sed etiam corpora secundum quemdam modum puerilem sibi vindicant puritatem mortificatione membrorum. Sic enim de quodam sanctorum legitur, quia in membris defuncti, septennis quodammodo pueri gratia videbatur (*De S. Martino dictum apud Sulpicium*). Ecce, fratres, qui primi gratiam Baptismatis tantis voluptatum sordibus amisimus, ecce verum Jordanem, descensum scilicet humilium, ubi die rebaptizari licet, invenimus. Hoc tantum est, ut non parcamus nobis de die in diem descendere profundius, et plenius mergi, Christoque penitus, conselpeliri. Ipsi gratias agamus, cujus humilitas et formam Baptismi hodie dedicavit credentibus. et gratiam non disparem reservavit poenitentibus, Ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

prosequamur. Ac primo quidem de illa spirituali Purificatione, quam Maria, offerens pro se et pro Filio par turturum aut duos pullos columbarum, nobis commendavit, prosequeremur, nisi quod patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt; et quomodo turtur castitatem carnis, columba ad simplicitatem mentis pertineat, diligenter discurrerunt; nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de uno turture vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc unum tamen adjicimus, quod quante notiora nobis sunt mysteria, tanto districtius et justius eorum a nobis exiguntur opera; quia scienti bonum et non facienti, peccatum est illi (*Jac. iv, 17*); et servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit multis (*Luc. xii, 47*).

2. Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hæc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendum demonstrat. Quanquam ne id puto quidem vobis incognitum, etiamsi nunquam sit auditum. Quis enim hodie, cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui, hodie Jesum accipiens in ulnas suas, Verbum in carne tanquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat? Erat profecto et ipse lucerna ardens et lucens, testimonium perhibens de lumine, qui ad hoc ipsum in Spiritu quo plenus erat, venit in templum, ut, suscipiens misericordiam tuam, Deus, in medio templi tui prædicaret ipsam esse misericordiam, et lumen populi tui. Vere tu, senex serene, lumen portabas non modo manibus, sed et sensibus; qui sic eras illuminatus, ut, cum tanto ante futuram illuminationem gentium tam clare videres, etiam nunc inter tenebras Judaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei

nostræ tibi coruscaret. Lætare jam, senior juste, vide jam quod prævidebas: discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant gentes in lumine tuo; plena est omnis terra gloria luminis illius quod occultum in sinu fovebas, imo quo sensus tuos refovebas. O fomes amoris, ipse amor suavis et dulcis ad refocillandam animam! Prorsus suavis et dulcis, etiam cum crucias et affligis; eruciatus feliciter delectans, sicut ignis salubriter refrigerans. Ignis iste, fratres, si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit; imo illum ignem extinguit, qui, in sinu celatus, non modo vestimentum adurit, sed et quod vestitum est, depascit, id est, corpus et animam pariter, consumit, inquit, *nostrer ignis consumens est (Deut. iv, 24)*, sed ignem consumentem; nam animam refovet, demulcet mentem, spiritum recreat, reparatque pereuntem. Hujus ignis vim Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat. Quanto salubrius et suavius ignis iste senem nostrum calefecit, quam regem David Abisag Sunamitis? (*III Reg. i, 17*) nisi forte Abisag hic ignis idem fuit, sapientia scilicet, cujus amplexu non solum recalescunt frigidi, sed etiam reviviscunt mortui.

4. Amplectere igitur, o beate senex, sapientiam Dei 946, et recalescant atque recanescant quasi de novo sensus tui; astringe uberibus tuis misericordiam Dei, et erit senectus tua in misericordia uberi. *Inter ubera, inquit, mea commorabitur (Cantic. i, 12)*, etiam cum reddam illum Matri suæ, manebit apud me. Et cum inter materna ubera continebitur, nihilominus inter ubera mea commorabitur, et ubera quoque mea inebriabit misericordia uberi; etsi non quantum ubera Matris. Illa quippe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ, sic excellenter habet ubera uberis misericordiæ. Gratulor et gratificor tibi, gratia plena, quæ misericordiam genuisti quam suscepi; cereum præparasti, quem accepi. Tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo virginum Virgini; dum incorrupta mater incorruptibile Verbum, incorrupta carne vestisti. Eia, fratres mei, ecce ardet cereus in manibus Simeonis, accendite et vos cereos vestros de illius mutatione luminis, lucernas dico quas Dominus jubet esse in manibus vestris (*Luc. xii, 35*). Accedite ad eum, et illuminamini, ut non tam lucernas feratis quam ipsi lucernæ sitiis, lucentes intus et foris, vobis et proximis. Sit ergo lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde luceat vobis: lucerna in manu vel ore luceat proximis Lucerna in corde, est pietas fidei; lucerna in manu, exemplum operis; lucerna in ore, sermo ædificationis. Non solum autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem et sermonem, sed et coram angelis, per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna nostra coram angelis est pura devotio, cum in conspectu angelorum psallimus sapienter, vel oramus arden-

ter; lucerna coram Deo, simplex intentio, ut ei soli placeamus, cui nos probavimus.

4. Et ne putemur, in his quæ dicimus, sensus nostri somnia secuti fuisse; probemus nos potius in omnibus adhæsisse testimoniis Scripturæ. Quod enim fides lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti, *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus (Prov. xxxi, 18)*; quod utique intelligimus, Non deficiet in tentatione fides ejus. Nam et de charitate, quæ nihil aliud est quam fides operans per dilectionem, apud eundem legimus Salomonem: *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam (Cantic. viii, 6, 7)*. Quod opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat, cum ait, *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris (Luc. xii, 35)*; et, *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona (Matth. v, 16)*. Quod sermo ædificationis lucerna sit, David dicit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis (Psal. cxviii, 105)*. Et Petrus apostolus de sermone prophetico, *cui benefacitis, inquit, intendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco (II Petr. i, 19)*. *Declaratio quoque sermonum Dei illuminat, et intellectum dat parvulis (Psal. cxviii, 130)*, sive cum sermones evangelici declarant umbram legis, sive cum ipsi sermones tam Evangelii quam legis declarantur expositionibus dilucidis, qui non intelligentibus parvulis videbantur obscuri; et in lumine dicimus quod dictum erat nobis in tenebris. Ideo Philippus in figura cujuslibet ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, eo quod de ore ipsius ad illuminationem audientium coruscaret ignitum eloquium Domini. Sermonem autem Dei intelligo, fratres mei, quidquid spiritus ejus dignatione sua loquitur in vobis; omnem utique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in provocationem charitatis. Si quis ergo vestrum loquitur, quasi sermones Dei (*I Petr. iv, 11*); ut etiam in privatis colloquiis omnis sermo malus non procedat de ore vestro, sed si quis est ad ædificationem fidei, ut gratiam det audienti; ut qui audierit, dicat gratias agens tibi, Benedictus sermo oris tui, quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis (Psal. cxviii, 105)*. De oratione autem quod et ipsa lucerna sit, maxime si divinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomon ait: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris (Prov. xx, 27)*. Lumen namque quod nobis orantibus vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitæ est, in quod suaviter respiramus. Hujus lucernæ videtur Job recordari, cum in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiæ præteritæ consolationis, ait: *Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos, secundum 947 dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris? (Job, xxix, 2, 3)*. Cæterum quod lucerna hæc dicitur investigare omnia secreta ventris, id est

mentis; non illud esse putandum est, quod Dominus comminatur se scrutaturum in lucernis (*Sophon. i, 12*): cum istud gratiæ sit illuminantis, illud iudicii exquirentis. Nam et aliter investigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnificis. Jam vero de intentione, quod et ipsa dicatur lucerna, nemo est qui ambigat, si tamen evangelicum illud intelligat: *Lucerna corporis tui est oculus tuus (Matth. vi, 22, et Luc. xi, 34)*.

5. Ut igitur tot lucernas vobis, fratres, illuminetis, accedite ad fontem luminis, et illuminamini, Jesum dico, qui lucet in manibus Simeonis, ut scilicet fidem illuminet, opus illustret, sermonem homini subministret, orationem inflammet, intentionem purget; ut sive opere, sive sermone vel oratione quærat placere coram eo in lumine viventium, qui scrutari habet Jerusalem in lucernis suis (*Sophon. i, 12*), et examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accensis, o fili lucis, jam non ambulabis in tenebris, nec timenda tibi erit sententia maledicti, *Qui maledixerit patri, vel matri, extinguetur lucerna ejus in tenebris (Prov. xx, 20)*, id est, deficiet consolatio hujus lucis, irruentibus undique hinc exterioribus, inde interioribus tenebris. Tibi enim, cui tot interius ardent lucernæ, cum extincta fuerit lucerna hujus vitæ, orietur lux inextinguibilis vitæ, et quasi fulgor meridianus consurget tibi ad vesperum: et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies (*Job. xi, 17, et Isai. lviii, 10*). Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te; sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam; quia Agnus lucerna est novæ Jerusalem cui benedictio et claritas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

Quanto sit affectu occurrendum Jesu advenienti.

1. Sicut ad diem nativitatis, id est adventus Dominici, pertinuit illa gratiarum actio et vox laudis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*; et ad diem apparitionis, id est, nostræ illuminationis, illud quod sequitur: *Deus Dominus et illuxit nobis*, sic etiam quod subsequitur, *Constituite diem solemnem in confrequentationibus* [Vulg. *in condensis*] usque ad cornu altaris; non absurde, ut arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis utique celebrem, frequentia solemnium, diem scilicet Dominicæ Præsentationis, quando a Matre solemniter ad altare præsentatus est Patri. Nam et in eo quod adjungitur, *Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te; confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem (Psal. cxvii, 26-28)*, quid tam convenienter accipimus quam fidem et confessionem Simeonis et Annæ, quæ et ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui expectabant consolationem Israel. (*Luc. ii, 38*)? Bene ergo citharista noster mone-

bat lætari Jerusalem et conventum facere in die tam solemnium: *Constituite, inquit, diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris (Psal. cxvii, 27)*. Non mediocris aut parum sollemnis illa frequentia fuit, cum inde venit Jesus et Maria cum turba parentum inducentium puerum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo (*Luc. ii, 27*); inde occurrit Simeon et Anna cum turba expectantium consolationem Israel, quibus testificati sunt de eo.

2. Non crediderim ego de hac solemnitate quæ tam pium, tam lætum conventum habuit, illam fuisse prophetæ querelam lacrymabilem, *Vix Sion lugent, quia non est qui veniat ad solemnitatem (Thren. i, 4)*: nisi forte arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Judæa et Jerusalem. Ad comparisonem siquidem tantæ multitudinis pauci venerunt, et de ipsis paucis paucissimi, ut arbitror, eum receperunt, cum præsentem viderent diu expectatum, sicut voce Patris per Malachiam fuerat repromissum: *Ecce, inquit, veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis (Malach. iii, 1)*. O Judæi, adest, ecce, Dominator quem vos quæritis; **918** cur offerentem se vobis non recipitis? Quæritis et non quæritis. Sed si quæritis; quærite: convertimini et venite (*Isai. xxi, 12*). Quæritis qui redimat de manu hominum, non quæritis qui redimat de manu demonum. Quæritis qui eruat de servitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captivitate vitiorum. Si vere utique liberatorem quæritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui saluum faciat populum suum a peccatis eorum. Si quæritis sublimem, quærite prius humilem, quoniam, ut ait Daniel: *Humillimum hominem constituet Deus super omne regnum (Dan. iv, 14)*. Si quæritis dominatorem potentiae, quærite prius doctorem justitiæ, quia justitia firmabitur thronus ejus (*Prov. xxv, 5*), et justitia et iudicium præparatio sedis ejus (*Psal. lxxxviii, 15*). Quia enim perfecte non quæritis, ideo nec præsentem invenitis, sicut de vobis ipse prædixit: Quærent me mali, et non invenient me, quia oderunt me (*Joan. vii, 34-36*). Quærent absentem, nec invenient etiam præsentem, quia oderunt lucem malorum opera argumentem, cum sapientia non nisi per dilectionem possit quæri, nedum inveniri. Simeon namque, quia pio et fideli quærebat desiderio, quæsitum invenit, et inventum agnovit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio. Nam Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas (*I Joan. v, 6*); virtus utique quæ de ipso procedit, unctio docens de omnibus, quæ de illo, singulariter secundum nomen suum uncto, multipliciter profluit.

3. Quid autem putamus, fratres mei, unctus ste, qui ungit etiam quos non tangit, quomodo candidum et sanctum pectus senis nostri perunxerit, cum suscipiens eum in ulnas suas, astringeret eum uberibus suis, et gestiret in-

cludere, si posset, in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suavis et mitis qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pii senis, qualis illabebatur medullis, quam delectabilem et salubrem, imo quam omnino ineffabilem se implerebat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat unctus in unctionem, quasi ad ignem resolutus ad amplectentis amorem; ut nimirum doceret unctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo enim legis? *Unguentum, inquit, exinanitum* [Vulg. *effusum*] *nomen tuum (Cantic. i, 2)*. Hoc siquidem unguentum exinanitur, cum a quadam durtia sui resolvitur, non ut pereffluat substantia illius, sed ut fluant aromata illius, ut quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certe magis anima senis liquescebat in amplexu hujus uncti, vel unguenti, ut diceret: *Anima mea liquesfacta est, ut dilectus meus infusus est mihi. Infusio utique unctionis, testimonium est uncti. Hæc seni testabatur de puero, Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis et charitatis, veritate docens, charitate ungens et accendens, et omnia interiora gelidi senis ponens, quasi cum unguenta bulliunt. Motus bullientium unguentorum, æstus desideriorum: sonus eorum, jubilus affectuum pariter dicentium (si tamen aliquid exprimere valentium), Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo te (Isa. xxv, 1). Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel (Luc. ii, 32), annuntians te. Confitebor, inquam, tibi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lacrymis dicentem, Quando consolaberis me? (Psal. cxviii, 82.) Exaudisti me, et nunc demum Simeonem, id est, exaudatum fecisti me; quia factus es mihi in salutem (Psal. cxvii, 28). Jesus mihi factus ex semine David secundum carnem, qui David et omnia fecisti secundum deitatem, omnibus quidem generaliter factus es in salutem, pectus morbidum perungens, vitalemque resuscitans calorem, animam refocillans, et oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in salutare tuum, o Domine, Pater Domini mei Jesu Christi, defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me? (Psal. cxviii, 82.) Factus eram sicut uter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, et totus desiderio languidus, Sed quia in verbum tuæ promissionis supersperavi, non visurum scilicet me mortem, nisi viderem Christum tuum, quod speravi jam video, quod desideravi teneo, quod concupivi complector. Video Deum Salvatorem meum in carne mea, et salva facta est anima mea. Viderunt oculi mei salutare Dei, et illuminati sunt interiores **919** oculi mei, qui languebant præ inopia. Omnino ad tactum hujus pueri, hujus hominis novi, renovata est ut aquilæ juvenus mea, sicut paulo ante mihi loquens pollicebar. Introibo ad altare Dei, ubi Maria Jesum offert Patri, ad Deum qui bætifi-*

cat senectutem meam, imo renovabit juventutem meam (*Psal. xlii, 4*).

4. Nec minore fortassis gaudio exsultabat cor Annæ in Domino; quæ, ut arbitror, tanto majoris fuit meriti, quanto altioris propositi et sanctioris desiderii, quam illa Anna mater Samuelis; cum illa cogitaret quæ mundi sunt, quomodo placeret viro; hæc quomodo Deo: illa de thoro viri quæreret sobolem; hæc de sinu Patris peteret Salvatorem. Hæc igitur, quodam presagio gratiæ excellentis quæ in vita ejus effloruit, qua etiam gratiam Redemptoris agnoscere et prædicare meruit, gratiæ nomen accepit; exemplar veræ viduitatis, speculum sanctitatis et vivum in emortuo corpore simulacrum totius virtutis. Hæc finem Legis et initium Evangelii sentiens propinquare, ritus Jadaicos christiana jam coeperat pietate mutare, jejuniis potius et orationibus serviens nocte ac die, quam cibus et potibus et variis baptismatibus, justitiis carnis, non animæ. Inde erat quod benedictione filiorum, quæ in Lege magni habebatur, contempta, nomen melius a filiis et filiabus elegerat et jam per annos octoginta quatuor, lignum esse aridum lignoque insidere arido, tanquam turtur amissa semel conjugæ, gaudebat.

5. Ecce habes par turturum, senem justum, et viduam anum, utrumque castum, utrumque desiderio Redemptoris gemebundum; qui utique semetipsum hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, Domino et pro Domino obtulerunt. Par turturum sane dico, non conjugum, sed conjunctorum, non copula matrimonii, sed sacratoris mysterii; pares nimirum fide, æquales castitate, similes devotione, consortes prædicatione gratiæ, ambos provecæ ætatis, ambos perfectæ sanctitatis, qui etiam ante Evangelium, evangelicæ puritatis ac pietatis in utroque sexu primitias dedicaverunt. Hi duo vario decore virtutem adornaverunt thalamum tuum, Sion, ad suscipiendum Christum Regem; non parietes templi tui, sed penetralia cordis sui secreta cubi- culi, ubi adorare Patrem in spiritu et veritate jubemur (*Joan. iv, 23*), ubi et suscipitur qui in manufactis se nequaquam habitare testatur (*Act. vii, 48*). In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens et lætabunda occurrit Deo suo. Alias vix habet ubi reclinet caput suum, et secundum Isaiam. *Aporiatus est, et non est qui occurrat* (*Isa. lxi, 16*). Sufficit tamen istorum occursus ad omnem solemnitatem et lætitiâ, eo quod consummatio abbreviata inundet justitiâ, et consummata atque abundans justitiâ paucorum facile compenset infidelitatem multorum.

7. Mihi omnino celebris est iste conventus, mihi sollemnis ista processio, omnique festiva gaudio, ubi hinc advenit puer et puerpera, Jesus et Maria; inde occurrit senex et vidua, Simeon et Anna; hinc Dominus et Domina, inde servus et ancilla; hinc Mediator et Mediatrix, inde tam fideles tamque devoti ipsorum testes et ministri. In hoc denique conventu misericordia et veritas obviaverunt

sibi, misericordia scilicet redemptionis in Jesu, veritas confessionis in senibus. In hoc occursum, justitia et pax osculatae sunt; dum justitia piorum senum, et pax reconcilians mundum invicem in osculo affectuum et gaudio Spiritus consociatae sunt, Recte ergo quod hac nocte cantavimus, ad laetitiam hujus diei pertinere credimus, salvo duntaxat alio profundiore intellectu: *Lætare, Jerusalem; et diem festum agite, omnes qui diligitis eam* (Id. LXVI, 10). Ac si diceretur: Lætata est Nazareth de annuntiatione, Bethlehem de nativitate: lætare et tu, Jerusalem, de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, et in Bethlehem natus est in Jerusalem est susceptus et praedicatus. *Et diem, inquit, festum agite, sive conventum facite, omnes qui diligitis eam*, scilicet Jerusalem, id est. Festiva devotione convenite in templum, ad suscipiendum Redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Israel.

7. Jam vero, fratres, si moraliter, sicut mos vester 950 est, aedificari vestra quaerit Sanctitas, quatuor illas illustres in hac processione consideret personas; quarum vita, non solum ecclesias illustrat, sed et caelos adornat: Jesum loquor et Mariam, Simeonem et Annam. Et, ut ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo, in Anna, quae jejuniis et obsecrationibus serviebat nocte ac die, jejunium nobis commendatur et oratio: in Simeone, qui tanto Jesum amplectitur gaudio, pietas et devotio, in Maria, quae cum nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis legem nihilominus implevit, humilitas et obedientia; in Domino autem Jesu, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, charitas et misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cujus laus, ut comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter; cum in senibus fuerit labore continentiae; in puella, munere gratiae in puero, jure et proprietate naturae, non pueritiae recens natae, sed puritatis innatae. In ipso non solum hujus virtutis, sed etiam omnium origo et perfectio; ab ipso singularum distributio; per ipsum earum conservatio; apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus, tam virginis Mariae, quam Simeonis et Annae meritis suffragantibus, ut quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit tueatur; ut depositum ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

SERMO III.

Quomodo Simeon imitandus.

1. Senex puerum portabat, senex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleverat Deus senem istum, ut ostenderet ei salutare suum in vultu nostro: sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpletur erat, ut ostenderet

ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergo dierum temporalium portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei aeternae pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum; quod videlicet dies suos super dies regis adjiceret; puer ille, juventutemque ejus renovaret ut aquilae. Quamquam senem quoque istum, sicut Abraham, cum dicitur plenus dierum, libentius accipiam plenum virtutum quam temporum: cum tempora statum nullum habeant, suoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quam adimpleant. Sed neque magnum est, imo magis malum est multis vixisset diebus, si non teneris virtutibus; cum puer centum annorum moriturus sit, et peccator centum annorum maledicendus (Isai. LXV, 20). Ideo, *Si annis multis vixerit homo, ut ait Salomon, et in omnibus lätatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita* (Eccl. xi, 8). Caeterum e contrario, *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata* (Sap. iv, 8, 9). Si hac utique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Sic namque scriptum est: *Corona dignitatis senectus, quae in viis justitiae reperitur* (Prov. xvi, 31). Et quae est illa senectus, quae est in viis justitiae reperitur, quae reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? ipse namque merito justorum operum tribuit canos sensus sapientiae, quam postmodum formabit justis in coronam gloriae. Sanctus itaque senex Simeon, ut sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, sive sapientiam senum factam puerum, in viis justitiae, cum scilicet in spiritu venit in templum, reperit, et comperit in veritate; quia senectus erat in lactente, sapientia in infante, virtus in infirmitate, Verbum in carne. O infantia, o senectus! quam bene vobis pariter convenit in hujus pueri sensibus et moribus; quo utique nihil innocentius, sed nihil sapientius, nihil jucundius, sed nihil maturius, nihil mitius, sed nihil justius!

951 2. Vobis, o filii hominum, vobis jam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei Sermo, ut videlicet malitia sitis parvuli, sensibus autem perfecti. Alii siquidem ex vobis columba seducta non habens cor, simplicitatem non salientes prudentia, relinquuntur fatui; alii sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt, et, prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum et gratum utrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia praefrens ingenitam sibi innocentiam, et de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus, aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, et puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus, id est Verbum Dei quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus.

Ipsam utique repositum in sinu sensus aedificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis et ordinem vitae grata et salubri suavitate temperabit. Non solum autem mater Ecclesia in audiendo, sed multo magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modo frequens et devotus orator venias in templum, ut dicas quotidie Deo: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo* (Psal. v, 8). Quem enim Ecclesia praedicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eo utique praesentio rem et suaviorem, quo nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe, quae est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradit amplectendam Spiritus infusione: quamquam hoc ipsum diverso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animae, sive pro arbitratu dispensantis misericordiae. Licet enim ipsam summam veritatis faciem non facile videamus, magnusque habeatur, cui vel per speculum et in aenigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsius, cum Spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius veluti ad nudum conficitur. Tunc prorsus ex sententia dicere possumus, et cantare laetabundi: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui* (Psal. LXXVII, 10). Beatus qui ut dignius et crebrius eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quae thalamum suum diligenter ac decenter adornat, ut cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat.

3. O sancta Sion, anima speculans aeterna, considera quae sit illa majestas suscipienda; cogita qua cura ac diligentia te illi praeparare locum oporteat. Si quis dixerit: Et ad haec quis idoneus? quis esse potest magnificentiae et gloriae tanti Regis congruus ornatus? Frustra, inquit David, paupertatem quispiam causetur: *In pace factus est locus ejus* (Psal. LXXV, 3); et: *Justitia et iudicium praeparatio sedis ejus* (Psal. LXXXVIII, 15). Simeon utique quia hujusmodi pallis thalamum adornavit, ideo Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace invenerat locum Domino, quia sedem praeparaverat ei in justitia et iudicio? *Homo, inquit, erat in Jerusalem, cui nomen Simeon; et homo iste justus et timoratus* (Luc. II, 25). In pace erat domus Simeonis, qui habitabat in Jerusalem, id est, in visione et amore pacis; de qua scilicet Jerusalem audierat David promittentem: *Non commovebitur in aeternum qui habitat in Jerusalem* (Psal. CXXIV, 1, 2). Et, ut noveris quia pacis habitator et amator erat, pacemque imperturbabilem illius stabilis et aeternae Jerusalem praee omnibus requirebat; cum pacem dei et hominum Jesum qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit, haec prima vox de pectore senis jamdudum pacem meditantis erupit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace* (Luc. II, 29). Postquam viderunt oculi mei salutare tuum, qui est pax nostra faciens utraque unum, non solum

Judeum et Gentilem, sed etiam Deum et hominem, et in homine spiritum et carnem: jam hoc solum superest desiderii servi tui, ut *in pace in idipsum dormiam et requiescam* (Psal. IV, 9); et pax Dei quae exsuperat omnem sensum, me totum in illius summam et simplicis unitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui: requiescat in pace qui pacem quaesivit, et quae pacis sunt sectari semper studuit. Sic quippe Isaias ait: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulavit in directione sua* (Isai. LXVII, 2). In pace utique Simeon straverat cubile suum, 952 qui omnibus aliis curis ejectis solum in corde meditabatur Jesum, ubi et reclinavit susceptum. In directione quoque sua ambulaverat, qui justus et timoratus erat, exspectans consolationem Israel, adventanti quotidie desiderii occurrebat.

4. In eo igitur quod justus dicitur et timoratus, justitiam et iudicium intellige, quo sedes Dei praeparatur. Et justitia quidem suo nomine demonstratur: iudicium vero timoris nomine, vel timor nomine iudicii ideo recte accipi posse putatur, quia scilicet timor non solum nascitur de futuri consideratione iudicii, sed etiam operatur nunc in nobis quamdam illius formam et executionem iudicii. Qui enim prohibemur iudicare ante tempus de proximis (I Cor. IV, 5), jubemur de nobis ut, dum nosmetipsos dijudicamus, a Domino non iudicemur (I Cor. XI, 31, 32). Porro timor iste sanctior est, cum justitiam sequitur, quam cum praecedat: quia qui praecedens ad justitiam initiat, sequens eadem consummat et conservat; dum scilicet de justitia praesumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, ut post iudicium sui adhuc de subtiliore iudicio suspectus sit, dicatque sibi: *Qui iudicat me Dominus est* (I Cor. IV, 4), qui cum accepit tempus, etiam justitias iudicabit. Qui sine timore isto est, non poterit justificari (Eccl. I, 28), ut Scriptura testatur; quia quantumcumque se justis exercitet operibus, alieni comedunt robur ejus, dum suam volens justitiam constituere, justitiae Dei non est subiectus.

5. Vigilanter itaque Evangelium perfectam commendans Simeonis justitiam, non ait: Timoratus et justus, ne timorem, qui est initium justitiae, intelligeremus: sed ait, *justus et timoratus*, ut timorem, qui justitiae per omnes gradus comes individuus ipsam promovet et tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putaverim otiosum, quod non timentem dixit, sed timoratum: non novum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum; sed qui utique versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia et gravitate sermonem ornaret et vultum, circumspicione moderaretur actum, totum denique interioris et exterioris hominis componeret statum. Neque enim vavis animum consolationibus resolvebat, qui consolationem Israel exspectabat. Quod et ipsum ad suae cumulum adje-